

hulle ipsi in hunc hujus notitie retinenda, similiter ut scintillantes radij ex fulgetris nocturnis evanide.

VI.

Ut ut igitur invisibilis divinitas, creatis ejusmodi spectaculis representetur, tamen ad illam intimè perspicendam, nemini oculi sunt, nisi interiore Dei revelatione per fidem illuminetur, qua negata nemo verus gloriae Dei spectator erit, & vanus in ratiocinationibus suis redditus, hoc modo desipiens cor suum obtenebratum reperietur. Quid enim condignè de Deo aut dixerit aut senserit, qui omnibus & sermonibus & sensibus major erit: Idcirco ne labascamus, luce divina confirmari necesse habemus, fide opus est, fide etiam creationem rerum ex nihilo solo iussu factam tenemus. Heb. 11. 3. Matth. 11. 27. Rom. 1. 21.

VII.

Quocirca ut Mens nostra vivida, in hoc Vita articulo, Deum pro modo verè cognoscat, quamvis adhuc infirma & enigmatica apprehensione, certatamen ex gratia adeoq; infallibili, futura & perfectissima, cum in illa Patria faciem Dei videbimus, 1. Cor. 2. 9. 13. 12. ante omnia ad Canonem praescriptum respiciat iubetur, & ne puram Dei veritatem sua corrumpat vanitate, ad verbum veniendum est, cui Deus semper indubiam fidem fecit, qua omni opinione superior esset: Extra quod cum Cypriano de Deo etiam vera dicere periculosum censemus, & satius esse iudicamus, in hac vita claudicare, quam extra verbi praescripti lineam celerrimè currere.

VIII.

Verbum autem Dei Deum nobis describit, non solum Quod sit, ut est Heb. 11. 6. quale principium, omni luce clarius, nullus facile negaverit, cum nulla Gens tam efferata, nulla tam barbara Natio fuerit, quin Mentem quandam esse agnoverit, omnia intelligentem, singula gubernantem, & sagittariorum instar ad scopum quidq; suum dirigentem, adeo penitus omnium animos occupavit,